

Q. N.
353, 25.

X 1864119

XXVI
II f
1545

Q. D. B. V.
QVÆSTIONEM.
HISTORICO-MORALEM.
AN. SEPTEM. BRITANNIS.
QVI. MARI. IN. EXTREMO. FAMIS.
PERICULO. VERSATI. SORTE. DESI-
GNATUM. SOCIUM. MACTARUNT.
RECTE. FUERIT. VENIA. DATA?

IN. ACADEMIA. PATRIA.

P. P.

M. JOH. TOBIAS. HEINRICI.

RESPONDENTE.

JOHANN. LANGIO.
POHLENSI.

A. O. R. M. DC. XCIII. CAL. MART.

LIPSIÆ.

STANNO. FLEISCHERIANO.



931.



MAGNIFICO. AC. AMPLISSIMO.
DOMINO.
VALENTINO. ALBERTI.
PHILOSOPHO. ET. THEOLOGO.
CONSISTORII. ELECTORALIS. AC. DUCALIS.
ET. FACULTATIS. THEOLOGICÆ. ASSESSORI.
ALUMNORUM. ELECTORALIUM. EPHORO.
COLLEGII. B. M. V. COLLEGIATO.
ACADEMIÆ. DECEMVIRO. NUNC. RECTORI.
DOMINO. ET. EVERGETÆ. LOCO,
PATRIS, HABENDO.

UT. ET.
MAGNIFICO. AC. VENERANDO.
DOMINO,
JO. BENEDICTO. CARPZOVIO.
THEOLOGO. CELEBERRIMO.
PASTORI. VIGILANTISSIMO.
DE. ACADEMIA. ET. ECCLESIA. LIPSIENSI.
MERITISSIMO.
FACULTATIS. THEOLOGICÆ. ASSESSORI.
COLLEGII. MAJ. PRINCIPUM. COLLEGIATO.
DOMINO, ET. PATRONO. SUBMISSE,
COLENDO,

NEC. NON.
NOBILISSIMO. AC. CONSULTISSIMO.
DOMINO.
GODOFREDO. BARTHIO.
J. U. DOCTORI. CELEBERRIMO.
RERUM. FORENSIUM. PATRONO. FELICI.
DOMINO. ET. ADFINI. COLENDO.

ANIMI. SUI. GRATITUDINEM PRO. INNUMERIS. BENE-
FICIIS. EXHIBITIS. ET. OBSERVANTIAM. TAM. SPLEN-
DIDIS. NOMINIBUS. DEBITAM. TESTATURUS. LEVEM.
ISTAM. DISSERTATIONEM. MEQVE. UNA.
CONSEURO.

M. JOH. TOBIAS. HEINRICI.
ITAQVE.
VIRI. SUMMI.
OBSEQVENTISSIMI. CLIENTIS. LEVE. MUNUSCULUM.
NE. DESPICIATIS.

DEUS. VOS. SERVET.



L. B.



In cogitavi de Themate morali, quod pro
Loco inter Magistros consequendo dispu-
taturus ventilarem. Ast dum unum &
alterum Thema pertractare cogito, inci-
di in *Ziegleri incomparabilis* Annotatio-
nes ad Grotii l. 2. c. 1. §. 3. ubi ex *Nic. Tul-
pii* Observat. Medic. l. 1. c. 43. historiam refert de Septem
Britannis, qui accinxerunt se unius noctis itineri; tempe-
state verò in mare longiq; abrepti, diuq; cum inediâ luctati,
sorte prius factâ, mactaverunt socium, ac à iudice postea
veniam impetrarunt. Quod factum historicum utut li-
benter ego morali quidem disquisitioni submittere vel-
lem, absterrebat me tamen casus hujus gravitas. Lege-
bam enim *Ziegleri* supra laudati, facti hanc speciem exami-
nantis, judiciosum effatum: Extra periculum constitutis
facilius esse rectè philosophari, & de justitiâ causæ disce-
ptare, quàm in ipsò discrimine versantibus. Legebam etiam
Nobiliss. Dn. Pufendorffii, casum hunc enarrantis, l. 2. J. N. & G.
c. 6. §. 3. ultima verba, quibus circa ejusmodi casum rariorem
suum nunc judicium suspendere dicit. Videbam insuper
in *Dn. Röhrenseer* Disp. de Jure aggratiandi, casus hujus ita
mentionem fieri, ut addat hæc verba: malle se tam gravi
in casu aliorum audire definitionem, quàm suum interpo-
nere judicium. Quicquid verò hujus esset, cepi tamen

impetum, hunc casum historicum paucis in pagellis moraliter pertractandi, & placidæ Opponentium nostrorum, censura dicam? an informationi submittere. Agam igitur, Christo feliciter fortunante, de hoc argumento historico-morali pro virili breviter ac distinctè, & ut rectius hoc cognoscatur, *de tractationis capita* constituere visum est. *In priori* casum simplici & historico stylo; *In posteriori* verò de moralitate hujus facti disquiram. Si alius majorem ad id Thema elaborandum vel in enarrando elegantiam, vel in decidendo iudicium desideraverit, illum rogatum volo, ut ne juveniles conatus accuratâ curiosæ senectutis decempedâ metiatur. Si majorem alius dictionis curam in me requisiverit, exercitationes Academicas ferè extra nitidæ elegantiorisque Orationis sortem positas esse sciat. Cæterum Deum oramus, velit conatui huic meo ex alto benedicere, studiaque mea imposteriorum, uti hactenus, sibi habere commendatissima. Fiat!

CAPUT I.

IDQUE

HISTORICUM.

TH. I.

UT verò Casum hunc accuratius delineem, operæ videtur pretium. Rem igitur sic habe. Erant aliquando Britanni, numero septem, in insulâ Christophorianâ degentes, qui faciendi itineris impetum capiebant. Indeque accingebant se illi, instructi comœatu, quem in tempus hoc exiguum sufficere nossent.

TH. II.

TH. II.

Cùm igitur latis animis veherentur, 'maxima inter-
venit tempestas, abripiens imparatos in mare longius,
quàm ut portum potuerint conspiciere. Tempore lon-
go jactati sic in mari, horis ac diebus singulis futu-
rum sperabant, ut portus conspiceretur. Deficiebat ci-
bus & potus, quem ad unam extenderant noctem. Lucia-
bantur inde cum inediâ maximâ, ac sole ardentius æstuan-
te excitatam sitim incalescentis maris falsedine sedaturi,
exucca sua guttura aridiora reddebant.

TH. III.

Quid igitur facerent? Jam aspiciebant se mutuò
mœsti & anxii; Jam spatiosum mare, quod intricati erroris
nullum finem promittebat; Jam ardentius orabant, lacry-
mis intermixtis, ut DEUS, cœli marisque gubernator, ex
altò respiciens, ipsis esset auxiliò.

TH. IV.

Fame verò nimis admodum ingravescente, ut non
amplius eam tolerare possent, consentiunt quisque in sor-
tem ancipitem, quæ unum ex se cædi destinandum desi-
gnaret, cujus carne reliqui famem urgentem, cujusque
sangvine inexplebilem sitim compescerent. Et ille quo-
que, qui aleâ jactâ cædi destinatur, mortem suam paratè
pro fratribus offert, & admodum gaudet, post mortem se
amicis profuturum.

TH. V.

Nemine verò ob misericordiam in vitam socii fævi-
re volente, fames tamen atrocior impulit eos ad sortem,
quâ aliquis repertus, illacrymans & trepidans amici sui ju-
gulum cultrò petit. Quò jugulatò accurrunt sitibundi,
ora sua exucca amici sangvine refrigerantes, & carne ami-
ci inexplebilem famem sedantes.

TH. VI.

TH. VI.

Qui igitur utcunque famem & sitim sedarant, & amicum jugulatum præ oculis habebant, quò conscientia morfu, quâ ægritudine animi agitados hos credas. Conscientia legem de non occidendo violatam mordicis urgebat; Amici jugulati præsentia sociorum pectora confortabat; diabolus, Deum exacerbatum proponens, gehennæ ipsis pœnam sensim dictabat.

TH. VII.

Anxios hos facti jam iterum fames invasit, carnem amici expetens, jam sitis, cruorem amici desiderans. Abstinere utut vellent à carne jugulati, famis tamen atrocitas & venter auribus carens propellit eos in cadaver, ubi vice alterâ famem & sitim compescunt.

TH. VIII.

Aliquandiu igitur sese cum cibassent, ac singulis momentis portum expectassent, eminùs viderunt insulam, quam Martiniam fuisse historia refert. Ecquod gaudium animis obortum credideris, apparente portu, singulis quem horis anxie speraverant, precibus quem ardentissimis à Deo suo oraverant, imò exoraverant.

TH. IX.

Vix quidem attigerant terram, ecce, quod omnibus modis pœnæ capitalis metu celare tentabant, accusantur homicidii. De pœnâ igitur, quam meruerant, certi, mortemque sibi capitalem sensim promittentes, impetrant à iudice inopinatam veniam:

— — *Dura atque immania passi*
Et quibus ipsorum poterunt ignoscere manes,
Quorum corporibus vescebantur. — —

CAPUT



CAPUT II.
IDQUE
MORALE.

TH. I.

Quæstiones occurrunt in morali hoc capite tres. *Prima:* An sociorum quisque in mortem suam sorte designandam consentire potuerit, ut reliqui conservarentur? *Secunda:* An Socii rectè mactaverint socium volentem ac gaudentem? *Tertia:* An venia rectè illis fuerit à Judice data?

TH. II.

PRIMA igitur *QVÆSTIO* est: *An sociorum, quisque in mortem suam sorte designandam consentire potuerit, ut reliqui conservarentur?* Quam quidem quæstionem omnibus modis negatum imus. QVÆSTIO. I.

TH. III.

Nemo enim membrorum suorum Dominus est, quod ex Jure Civili constat; vitam omnes non mancipio, sed usu acceperunt, quam habere in pretio æquum est, non tam vili pendere, ut ejus jactura alterius famem expleamus. In hanc vitæ stationem posuit nos omnes supremus Imperator, quam si quis suoapte ingenio deserit temerè citra ipsius voluntatem, exauctoratur protinus, æternamque sibi infamiam accelerat. Nec excusare scelus poreft, si vel ad mala magna vitanda, vel consequenda ingentia bona fecisse causetur. Non enim quisquam idoneus judex est, ad tale quid de semetipsis statuendum: neque facienda sunt mala, ut eveniant bona, aut ne alia mala consequantur. *vide Dn. Røbrensee in disp. cit. §. 23.*

B TH. IV.

TH. IV.

Negamus insuper propterea, quia ex præcepto Apostoli 2. Cor. VIII, 13. proximo quidem debemus benefacere, sed ne nobis inde sit tribulatio. Christus ipsemet Matth. XXII, 39. tantum præcepit diligere proximum, ut nosmet ipsos, non verò magis: Quod autem fieret, si damna cum vitæ periculo conjuncta amicorum gratiâ accersere nobis velimus. Ipsa recta ratio conservationem sui omni modo svadet, cui itaque adversum videtur, velle alii cum damno & quidem insigni prodesse. *Vide Præceptoris mei venerandi, Exc. Dn. L. Rechenbergii Diss. de eo, quod licet pro amico. c. 2. §. 18.*

Th. V.

Et licet damnum leve ac grave amici causâ sustinere quidem debeam; gravissimum tamen damnum, quod vitam ipsam attinet, sustinere non debeo. Qui habet duas tunicas, impertire unam non habenti debet. Luc. III, 11. sed qui unicam habet tantum, non jubetur similiter facere. *V. modo laudati Dn. Rechenbergii Disput. cit. §. 21.*

TH. VI.

Nec obstat, quid quidam *virtutem* esse dicant, proximo cum sanguine serviendi, simulque ad J. N. provocent, quod nobis dictitet, bonum animi morale, cujusmodi est virtus, bonis, quæ animi & corporis simul sunt, quale vita, præferri debere, adeoque vitam potius, quàm virtutem esse negligendam. Nam certum est, vitam non esse negligendam in gratiam alicujus virtutis, si officio meo, aut alii virtuti, neglectu illo, vis inferatur. *v. Accuratissimum J. N. Doctorem, Magnif. Dn. Alberti, in Compend. J. N. P. II. c. II. p. 71.* Prout hic violatur longe præcellentissima virtus, ipsa sc. in Deum pietas, propter quam etiam cum neglectu superioris virtutis vita negligenda non est, ni involare quis velit in ipsum jus, soli quod Deo in vitam necemque hominis
pro-

proprium competit. Quemadmodum enim anima nostra corpori à Deo socia aut dux data est, ita quoque nemini præter Deum licet aut fas est, animam à corpore dissolvere.
v. Dn. Alberti. ibid. p. 65.

TH. VII.

Nec obstat S. P. assertio, qui *contra Zieglerum* statuit, illum animam vili æstimare, qui citra necessitatem eandem projicit. Nam Resp. Illos omninò animam suam magis æstimare debuisse, quàm ut propter æquales, in necessario famis periculo constitutos, contra charitatem, ordinatam projicere voluerint. *vide Tb. XVII.*

TH. VIII.

Nec obstat, quod *Rob. Scharrockius* hoc conventionis exemplum approbat, dum æquum judicat, si contractu aliquo componi res possit, ne moriendum sit omnibus. *l. de officiis sec. J. N. c. 3. n. 12. p. 198.* Certè in hoc casu conventionis exemplum non approbo: nam omnes erant æquales, quos præstabat profecto immunes à culpâ omnes supremum obiisse diem, quàm vitam enormi delicto redimere: *consente sic Dn. Røbrensee in Diss. alleg. §. 23.*

TH. IX.

Nec obstat dictum Johannis 1. epist. c. 3. v. 16. quod allegant. Nam dicti hujus Johannèi sensus non accipiendus est de expositione vitæ, sed de periculorum aditione. Sicut & ipse *Grotius* dictum hoc de periculo, cui se objiciunt alii pro aliis, exponit, *l. 1. de J. B. & P. c. 2. num. 6. & in Comment. ad l. c. conf. D. Osiandri Annot. ad b. l. p. 369.* Exemplum Christi salvatoris nostri, quod commendatur, est heroicum, & quoad *ἰλασμόν* planè inimitabile. Quia mors ejus, quæ pro mundo ex gratiosâ Dei destinatione facta fuit, est *ἰλαστική* qualis à nullo homine aut creaturâ expectanda. *vide superius citatam Diss. Exc. Dn. L. Rechenbergii c. 2. §. 22.*

B 2

TH. IX.



TH. X.
Nec obstat, quod privato *liceat* pro Rege, Electore,
aut principe Christiano in vitæ periculo constituto vitam
propriam amittere, si illam servare possit. Quod quidem
factum legimus à Ribiscio, Mauritii D. S. Famulo. Resp.
Hoc factum non est *ἀποχειρία* dicendum; sed fundatur in
dictamine rectæ rationis & amore erga bonum publicum:
Et pro fine primario habet *καλὸν π* h.e. communis utilitatis
conservationem.

TH. X.
Nec obstat, quod objiciant, in vaso ab aliquo vitam
propriam amittere *licere*, ut in vasoris anima liberetur.
Nam nego hoc licere in vaso, nisi aggressor aut sit persona
reip. utilis & in vasus persona vilis; aut indamnationis pe-
riculô versetur: ut B. Hülfemannus in *Tract. de Jure & Mo-
derat. corrept. olim sensit.*

TH. XII.
Nec obstat, quod militi gregario pro Chiliarchâ suo
periculum vitæ adire inevitabile *liceat*, ut ille salvus ma-
neat. Nam obligat militem vinculum aliquod magnum,
Sacramentum puta, quô incrementum exercitûs promo-
turum, salutemque ejus, quæ magnâ ex parte ex salute Chi-
liarchæ pendet, defensurum promisit.

QVÆSTIO
II.

TH. XIII.
Altera QVÆSTIO est, *an socii mactaverint licitè vo-
lentem & gaudentem socium, ut sua vita conservetur?* quod
iterùm negamus.

TH. XIV.
Urgemus enim meritò divinum de non occidendo
mandatum, quod dedit nobis legislator omnipotens.
Et Constat inter eos, qui actus hominum ad tribunal
conscientiæ revocant, illam solam haberi posse pro licitâ
occi-

occidendi hominis causâ, quàm Deus in lege sua approbavit pro justâ, vel expressis, vel per evidentem consequentiam. Propositum verò casum in mandato de non occidendo ullibi exceptum esse, vix est, ut argumento idoneo probari possit.

TH. XV.

Deinde violarunt præcepta J. N. negativa, *Neminem ledito, Non facienda sunt mala, ut eveniant bona.* Et cum præcepta hæc, sicut omnia J. N. negativa, simpliciter inhonestum prohibeant, satis manifestum est, nullam etiam inveniri posse necessitatem, quæ Inhonestum in genere licitorum ponere possit, aut propter quam unquam vel usquam Inhonesta facere liceat.

TH. XVI.

Præterea hicce Casus hoc plus de voluntario participare videtur, quò magis antecedens deliberatio de victus comparandi medio, & subsequuta electio mittendi sortes, quæ de septem fecernant unum, cujus carne vescerentur reliqui, in propatulò est.

TH. XVII.

Deinde proximi vita non cujusquam subjicitur arbitrio, nisi illius, qui autor est & Dominus vitæ, & cui hic expressum ad occidendum mandatum dedit. Præter quos si quis alteri vitam eripit, graviter peccat, dum Deum principem creaturâ, à se ad imaginem sui conditâ, Remp. cive, familiam vel capite vel membro, occisum summo, quod à Numine habet, beneficio, quodque ei restituere nunquam potest, privat.

TH. XVIII.

Porrò constat, eum ob finem eos in vitam socii sævisse, ut sibi ac stomachis suis benè sit. Si nemo igitur cum injuriâ alterius fieri debet locupletior; quî licitum sit, alio-



rum ex in commodis, injuriâ, nece, ut comparemus com-
modâ? Si non alicui conceditur licentia, bonis alicujus ali-
enis, quorum fieri tamen restitutio potest, utendi, si pari
necessitate ipse possessor teneatur; quod igitur esuriens
habebit jus in vitam & carnes famelici? Rectè *Cicero l. 3*
de offic. Nonne, ait, sapiens, si fame ipsâ conficiatur, abstu-
lerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? Minimè-
verò. Non enim est mihi vita mea utilior, quàm animi
talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratiâ.

TH. XIX.

Nec obstat, quod S. P. contra Zieglerum *sævitiâ*
reliquos, in socium suum exercuisse neget, dum in salutem o-
mnium qui mortuus est, minori cum dolore jugulò ferrum ex-
ceperit, alter quod infixit. Resp. Nonne est sævitiâ, si illi vitæ
suæ parentes sui proximi vitam, quem non supra se, nec in-
fra se, sed ut se ipsos diligere jubentur, contra naturam jugu-
lant, ut sua vita conservetur.

TH. XX.

Nec obstat, quod S. P. *occiso periculum anima metu-*
endum fuisse neget. Resp. Erat ipsi metuendum ut
αὐτόχρησι. Occisus enim antea consenserat in mortem su-
am, & eam postea sponte offerebat, cum vitam tamen à su-
premo Domino non ad perdendam, nec famem alterius
explendam, sed ad conservandam accepisset.

TH. XXI.

Nec obstat, quod *summa necessitas hoc exegerit.* Au-
diat qui hoc dicit, responsum Aristotelis 3. Eth. 1. Sunt
nonnulla *ejusmodi*, ut fortasse nullâ vi aut necessitate coa-
cti ea agere debeamus, ut potius mors nobis appetenda,
gravissimique cruciatus perferendi.

TH. XXII.

QVÆSTIO
III.

Quæritur etiam, *An rectè Britannis venia ab ordina-*
ria homicidii pœna fuerit data? quod cum Dn. Röhrenseen
meritò affirmamus.

TH. XXII.

TH. XXIII.

Nam factum eorum tùm erat absolutè coactum à famis atrocitate & ventre auribus carente, ita, ut si extra hunc necessitatis casum fuisset, ad tale facinus non fuissent prolapsi; tùm cum summâ quoque perturbatione animi conjunctum, qui non poterat facilè circumstantias facti perpendere, sed singulis mortem momentis anxius metuebat.

TH. XXIII.

Nec finis pœnarum acquiri poterat, sive emendationem lædentium spectes, qui tale quid extra necessitatis casum non ampliùs erant facturi; sive satisfactionem pro læso, qui non ampliùs aderat; sive præcautionem omnium, ut cautiùs mercarentur, quibus necessitatis hic casus vix timendus erat.

TH. XXIV.

Nec obstat, quod dicant quidam, in iis delictis, quæ poenâ capitali coërcere Deus mandavit, quale est homicidium, non licere Majestati veniam dare. Resp. Circumstantiæ delicti sunt respiciendæ, ob quas Majestas civilis pœnas legibus determinatas immutare, mitigare, & exacerbare potest. Quò in casu non tam dispensatorem agit Majestas civilis, quàm interpretem, & non tam mitigat poenam, quàm justè applicat. *Dn. Zieglerus. Diss. 4. de Jure Maj. §. 26.*

TH. XXV.

Neque tamen judicem in eo defenderim, quod nullo eos modò puniverit. Ad minimum cum poenam ordinariam haud adeò citra rationem ultrò ipsis remisit, modò tamen extraordinariò punire eos debuisse cum tam atroci huic commisso homicidio poenæ magis mitigatio, quàm totalis remissio conveniat. *v. Dn. Röhrensee in d. c. §. 23.*

TH. XXVI.

que. Athic filum abrumpo; dissertatiunculæ meæ:
Deo O. M. pro concessis ingenii viribus gratias agens hu-
millimas, precatusq; ex animo, velit studiis meis imposte-
rum benignè annuere, Patronosque, quos Parentum locò
deveneror, quorumque nutu Academicum hoc specimen
elaboravi, salvos ac sospites diu conservare.

S. D. G.

SI generosa jacet ramos feliciter arbor,
Nec vacuas opibus monstrat iniqua comas,
Gaudet, qui teneros fruticis formaverat artus,
Quod studio fuerit non viduata manus.

HEINRICI mollem memini finxisse juventam:

HEINRICI nee me poenituisse potest.

Sed juvat ingenii jucundos cernere fructus,

Speratasque juvat cernere mentis opes.

Pluribus haud opus est laudes exponere verbis:

Ipsa loquens est hæc pagina. Lætor ego.

PRÆSIDI. Disputationis Clarissimo, meliori in litera-
tura apprimè versato, bonorum affectu perquam
digno, Discipulo olim obsequentissimo, nunc Audi-
tori honoratissimo & Inquilino dilectissimo, de egre-
gio eruditionis specimine gratulari, ultiores ingenii
optimi à Deo concessi fructus felicissimos ex prom-
tæq; facundiæ & solidæ eruditionis præmia animitus
comprecari, simulq; prolixissimum affectum paucis
hisce lineolis sincerè testari voluit

M. JOHANNES Günther / SS. Theol. Bac.
Diac. ad D. Nic. & Collegiatus Collegii B. M. V.

MA
VALI
PHI

CONSIST
ET. FAC

ALU
C

ACADE

DOM

SSIMO.

BERTI.
OLOGO.

AC. DUCALIS.
ASSESSORI.
EPHORO.
IATO.

C. RECTORI.

LOCO,

